UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XVIII. Quod homo non sit curiosus scrutator Sacramenti, sed humilis imitator Christi, subdendo sensum sacræ fidei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45780

Visual Library

invenire mereantur, & pro me peccatore ſuppliciter exorent.

Cumque optata devotione, ac fruibili unione potiti fuerint, & bene conſolati, ac mirifice refecti, de ſacra menſa cœleſti abſceſſerint, mei pauperis recordati dignentur.

CAPUT XVIII.

Quod homo non ſit curioſus ſcrutator Sacramenti, ſed humilis imitator Christi, ſubdendo ſenſum ſacræ fidei.

VOX DILECTI.

1. Cavendum eſt tibi a curioſa & inutili perſcrutatione hujus profundiſſimi Sacramenti, ſi non vis in dubitationis profundum ſubmergi.

Qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur a gloria. Plus valet Deus operari, quam homo intelligere

poteſt. Tolerabilis, pia & humilis inquiſitio veritatis, parata ſemper doceri, & per ſanas Patrum ſententias ſtudens ambulare.

2. Beata ſimplicitas, quæ difficiles quæſtionum relinquit vias, & plana ac firma pergit ſemita mandatorum Dei.

Multi devotionem perdiderunt, dum altiora ſcrutari voluerunt.

Fides a te exigitur & ſincera vita; non altitudo intellectus, neque profunditas myſteriorum Dei.

Si non intelligis, nec capis, quæ infra te ſunt: quomodo comprehendes, quæ ſupra te ſunt?

Subdere Deo, & humilia ſenſum tuum fidei, & dabitur tibi ſcientiæ lumen, prout tibi fuerit utile ac neceſſarium.

3. Quidam graviter tentantur, de fide & Sacramento: ſed non eſt hoc

hoc ipſis imputandum, ſed inimico.

Noli curare, noli diſputare cum cogitationibus tuis, nec ad immiſſas a diabolo dubitationes reſponde; ſed crede verbis Dei, crede ſanctis ejus & Prophetis, & fugiet a te nequam inimicus.

Sæpe multum prodeſt, quod talia ſuſtinet Dei ſervus.

Nam infideles & peccatores non tentat, quos ſecure jam poſſidet; fideles autem devotos variis modis tentat & vexat.

4. Perge ergo cum ſimplici & indubitata fide, & cum ſupplici reverentia ad Sacramentum accede.

Et quidquid intelligere non vales, Deo omnipotenti ſecure committe.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Non fallit te Deus; fallitur, qui ſibi ipſi nimium credit.

Graditur Deus cum ſimplicibus; revelat ſe humilibus; dat intellectum parvulis; aperit ſenſum puris mentibus, & abſcondit gratiam curioſis & ſuperbis.

Ratio humana debilis eſt, & falli poteſt; fides autem vera falli non poteſt.

5. Omnis ratio, & naturalis inveſtigatio fidem ſequi debet, non præcedere, nec infringere.

Nam fides & amor ibi maxime præcellunt, & occultis modis in hoc ſanctiſſimo & ſuperexcellentiſſimo Sacramento operantur.

Deus æternus & immenſus, infinitæque potentiæ facit magna & inſcrutabilia in cœlo & in terra,

nec

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nec eſt inveſtigatio mirabilium operum ejus.

Si talia eſſent opera Dei, ut facile ab humana ratione caperentur, non eſſent mirabilia nec ineffabilia dicenda.